

05  
A  
720



IN  
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM

Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EIUS ARTICULIS

generatim consideratis

DISPUTATIO V.

*De*

RELIGIONIS VERÆ OPPOSITIS

in genere & speciatim

*De*

# EPICUREISMO

*Quam*

Adjuvante DEI ter Opt. Max. gratiâ

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S.S. Th. Doct. & Prof. publ.

*Ad placidam συζήτησιν proponit*

M. JOHANNES Spleiß Ulmâ-Sveus.

*Ad diem 15. Febr. horis pomerid. in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,*

---

ANNO M DC XXVI.





05 A 720

Σειρά Θεοφάνειας

Σειρά Θεοφάνειας

## DISPUTATIO QVINTA, PRÆLOQVIUM.



Vemadmodum homini nihil optabilius magis vè salutare in hac ærumnosà vitâ contingere potest, quâm verum DEUM rectumq; ejus cultum probè ac distinctè agnoscere: Sic quoq; nihil ei miserius magis vè exitiale evenire poterit, quâm verum DEUM rectumq; ejus cultum ignorare.

Verum autem illum DEUM cognoscendi colendiq; modum in solo verbo DEI invenimus. DEUS enim quæ de se suaq; voluntate hic ab homine sciri voluit, ea in suo verbo, Prophe-  
ticis & Apostolicis libris comprehenso, plenissimè & ad vivum usq; patefecit & expressit, atq; hoc usq; adeò, ut ipse talis pre-  
cisè agnosci & coli velit, qualis in verbo suo revelatur. Itaq;  
illi DEO justum bonorem & debitam gloriam tribuunt, que  
ipsum tantummodo agnoscunt & venerantur, prout in verbo  
proponitur. Quicunq; verò DEUM alio quocunq; modo &  
agnoscere, & colere affectant, quam ipsem se in suo verbo co-  
gnoscendum exhibuit, illi non tantum à rectâ salutis viâ defle-  
ctunt & exorbitant, sed etiam DEUM ipsum exira DEUM  
querunt, atq; inexplicabilem labyrinthum, ex quo nullum un-  
quam exitum invenire poterunt, ingrediuntur, ut idemti-  
dem, errando miserrime tandem pereant. Vera itaq; nostra  
Religio honorifica magis nobis sit, quod e a nos informat juxta  
præscriptum verbum de DEI verâ agnitione & cultu. Quia  
verò in dissertationibus superioribus Religionem, quid & que-

nam vera sit, consideravimus, & quidem non absq[ue] optato est sa-  
lutaris fructu: Restat, ut jam de oppositis huic vitiis, quae eò  
vitanda magis, quod graviora secum ferunt damna maiorem q[ui]  
jacturam, differamus.

Horum enim consideratio ad meliorem maioremq[ue] illius  
facit cognitionem, quandoquidem contraria, Philosopho teste,  
quum ad invicem referuntur, se mutuo illustrant. Proinde  
oleum, quod dicitur, & operam haud perdimus, si accuratiorem  
de iis inquisitionem instituamus: Hac quidem vice generalem  
eorum enumerationem primū apponemus; post ad Epi-  
cureismum tanquam certam speciem accedemus, quam fieri  
poterit brevissime. Quod ut à nobis fiat feliciter, DEUM Opt.  
Max. veneramur supplices, ut suā gratiā præsens nobiscum  
laboret, accognoscamus quid gratum sit apud eum. Ita fiat!

### THEOREMA I.

Religioni veræ multa opponuntur, ut Epicureismus, Puccia-  
nismus, Machiavellismus, Samaritanismus, Apostasia, &  
Religio falsa, quem multiplex.

Ἐπίγνωσις.

Religio vera  
dupliciter  
consideratur.

Eius opposita  
vitia.

Duo sunt primaria vitia Religioni veræ opposita: Per ex-  
cessum unum, alterum per defectum. In Ethicis hoc observat  
Philosophus, qui vitia singularum virtutum moralium duo pri-  
maria facit: unum quod à defectu; alterum quod ab excessu na-  
scitur, veluti liberalitatem duo contraria vitia claudunt, avaritia  
ex defectu negationeq[ue]; liberalitatis: & prodigalitas ab excessu  
inerogandis bonis. Quemadmodum autem Religionis veræ  
sunt duæ partes, Dei cognitio & cultus: Ita quoque dupliciter  
potest considerari, vel theoretice, prout est in prædicamento  
Qualitatis: vel practicè, quatenus est in prædicamento Actionis.  
Quocirca in eam quoque impingi potest bifariam, Religionem  
sive doctrinam dicas, sive etiam cultum, sc. vel per ἐλέφων, vel  
per ὑπερβολὴν. Breviter: Religioni veræ quatenus doctrina est  
per negationem sive defectum opponitur carentia doctrinæ,  
Psal. 147. v. 19. 20. in excessu Traditio vel potius Additio mere  
humana.

humana & veræ doctrinae contraria, 2. Joh. v. 9. Act. 20. v. 30. Si  
militer veræ Religionis cultui oppositum in defectu vitium non  
incommode appellatur *ἀθρησία*, Mal. 1. v. 6. vitium autem per  
excessum contrarium *ψευδοθρησία*, Act. 17. v. 16, 23. Exod. 32. v. 4.  
Quamvis autem in vero Dei cultu non peccetur excessu cultus di-  
vini secundum quantitatem *absolutam*, quia, ut dicitur Siracidis  
c. 43. v. 32. Glorificantes Dominum quantum cunque potueritis,  
supervalebit adhuc. Et paulò post: Exaltate eum quantum cunq;  
potestis, major enim est omni laude. Peccatur tamen excessu se-  
cundum quantitatem *proportionis*: Proportio enim debita duo in-  
cludit; ut non colatur qui coli non debet, sive ut non super in-  
ducatur creatura pro creatore, aut cum ipso colenda: Et, ne cul-  
tus exhibeatur, quem exhibere non oportet, sive ne superinduca-  
tur præter voluntatem ejus, qui colitur voluntate colentis, cultus  
aliquis. Cæterum quum uni duntaxat unum sit contrarium,  
Philosopho docente l. 10. Met. c. 4. quando ait: *Πενεγόν, οὐ γέ  
ἐνδέχεται ἐν τῷ λειωτικῷ εἴναι*, patet, quod non contingit, uni  
plura contraria esse; dubitaverit quispiam qua ratione & quo-  
nam jure Religioni veræ *multa* opponamus. Sciendum verò est,  
hæc duo invicem sibi non adversari, contrariorum uni unum op-  
ponitur: Et, uni contrario non unum modo, sed multa opponi  
possunt. Utrumq; dicit etiam ipsemet Philosophus, l. 8. Phys. 7.  
§. 62. scribit; *Τὸ δυτὸ πλείον τὸν εἰν αὐτοῖς*, h. e. idem *pluribus* est  
contrarium. Dicimus ergo, uni contrario duntaxat unum op-  
ponitur i. *contrarium in genere*: illud ipsum verò genus in se & in  
specie potest esse multiplex & diversas habere species, quarum re-  
spectu rectè dicitur uni *multa* opponi. Ita una est fides, una ve-  
ritas, & nihilominus innumeræ hæreses illi adversantur. Deus  
Diabolo opponitur, & Deus quidem unus est, non tamen ob id  
numero unus tantum est diabolus, sed innumerabiles sunt legio-  
nes. Consule Dn. D. Præsidem, Præceptorem nostrum omni ob-  
servantiā æternūm venerandum part. 2. Phil. Sobr. Sect. 2. q. 6.  
2: uni unum est *contrarium*, quando scilicet hoc ipsum sit *adæqua-  
tum*. At verò quando virtus habet duo vitia extrema sibi con-  
traria, neutrum illi *adæquate* opponitur, v. g. liberalitati avaritia  
solum opponitur in dando quæ deficit; prodigalitas è contrâ, quæ

Occupatio:

Questio:

Resp. 1.

2.

A. 3.

temere:



temere sua bona profundit. Idem esto judicium de oppositis  
vitiis veræ Religionis. Restat modò his addamus, quòd Reli-  
gio falsa multiplicem quam diximus esse, inveniatur vel extra  
Ecclesiam, ut Gentilismus, Judaismus, Turcismus: vel intra Ec-  
clesiam, ut Hæreticismus, qui vel antiquus & extictus, vel ho-  
diernus & serpens, ut Papismus, Græcismus, Anabaptismus,  
Schwenckfeldianismus, Calvinismus, Photinianismus & Wei-  
gelianismus.

## THEOREMA II.

*Descriptio E-* Epicureismus est defectus sive vitium in defectu peccans,  
picureismi. quo quis Religionem omnem contemnit, omnia casui cœco  
fortuna raptui attribuit, atq; sic providentiam DEI negat,  
prophetias ac conciones de pœnis & extremo iudicio irridet,  
eum potissimum in finem, ut impunè & securè  
quidvis perpetrare possit.

Ἐπίκυρειος.

Epicurus qui  
fuerit.

Epicureismus nomen habet ab Epicuro. Vox autem Epicuri  
appellative significat auxiliatorem, adjutorem: Et videtur esse vox  
militaris, quum κύριος δημόσιος mittuntur. Sic & juvenis  
Latinis est à juvando, quia ejus ætatis est laborare & juvare ope-  
re, ut Seniorum est juvare precibus ac consiliis. Est autem & no-  
men proprium Atheniensis Philosophi, à quo nobilis secta Epicu-  
reorum, quorum etiam Scriptura S. meminit Act. 17. v. 18. Ho-  
rum præses Epicurus vulgo pessimè audit, tanquam & improba-  
rum opinionum defensor & voluptuariæ vitæ Magister, quan-  
quam Seneca eum non raro laudet.

Similiter Gesnerus in Onomast. propr. nominum de Epicu-  
ro ait: Summum bonum in voluptate ponebat, non tamen in  
voluptate corporis, quemadmodum Aristippus, sed in voluptate  
animi, hoc est, in absentia dolorum omnium. Traditur fuisse  
continentissimæ vitæ, pane & aquâ contemtum, & si laetus cœ-  
nare voluerit, etiam caseo: nomen tamen illud voluptatis, in  
qua summum bonum ponebat, effecit, ut ab eo homines volu-  
ptuarii Epicurei dicantur. Verum enim verò collocaverit Epicu-  
rus, summum bonum in voluptate animi, quæ in non dolendo  
consistit; tamen ut omnis purus Philosophus, ita in primis Epicu-  
rus

rus multa improba & vana dogmata tradidit ac derendit. Quo alludens Cicero, dixit: Qui voluit subvenire erroribus, Epicurus (à succurrendo sic dictus) is est. Ex suis verbis indicetur Epicurus, quæ sic interpretatus est Cicero: Non intelligo quid sit aut *l.2. de Finib.* ubi summum bonum præter illud, quod cibo aut potionē & obſcēnā voluptate capit. Et quia dolorem omnem proscriptis, probabile est, ipsum fuisse hominem humanis delitiis quam maximè assuetum. Hanc nostram opinionem confirmat Horatius, cui fides ideo tribuenda est, quia & ille olim professioni Epicureæ addictus fuit, quam ille eleganter appellat insanientem Sapientiam, *Od.34. l.1.* Ex qua & hoc cognosci potest, quod Epicurus & sectatores ejus planè extiterint irreligiosi, eò quod Horatius Epicurisequus se parcum deorum cultorem & infrequentem fuisse testatur. Hinc Barbaris vocatur Irreligio, ab Apostolo Paulo *Phil.1.10.* *2. Tim.3. v.4.* *Tantum de Nominis.*

Diximus autem Epicureismum esse Religionis omnis contemptum; quanquam enim nulli inveniuntur, qui Religionis specie & Numinis sensu plane careant, negari tamen haud potest, quin omnibus seculis Epicuri de grege porci & homines Athei extiterint, qui DEUM spreverint, quasi verò casui & fortunæ permittat omnia, neque curam gerat Deus hujus universi.

Et quoniam isti homines Religionem omnem susq; deq; habent, mirum non est, quod etiam nil nisi mundum & spirent & venerentur. Hinc voces Epicureæ: *Edamus & bibamus, cras enim morimur, 1. Cor.15. v.32.* *Agite, fruamur presentibus bonis, ut amur iuventute. Sap.2. v.6.* Hinc Parœmia eorum fuit, est & erit: *Lude, bibas & edas, post mortem nulla voluptas.* Et graphicè eorum vitam describit Megalander noster *Lutheus* in *Phalecio suo*, quod quia notatu dignum est, adjiciam. Sic autem habet:

*Vitam que faciunt suis beatam,  
Porcis hæc Epicurus ille tradit:  
Ne spectes hominum, Deivè mentem.  
Non est qui regat atq; curet orbem,  
Spem vita bene rideas futuræ,  
Quamvis mens, ratioq; sana monstrant.*

*Te soli.*



*Te soli tibi finge procreatum,  
Certus cuncta tuo nata esse ventri.  
Silenus placeat, nihilq; malis,  
Vivas ut mera sus, merusq; porcus,  
Et tandem moriare porcus & sus.  
Sic sic itur ad insulas beatas,  
Æterno quibus igne carcer ardet,  
Et tales coquit, ustulatq; porcos,  
Tunc malles Epicure non fuisse,  
Sed serò venient eæ querelæ.  
Et disces aliud fuisse quiddam,  
Quàm quod riseris hic inane numen.*

Ex his & similibus vocibus improbis, & impurâ vitâ Epicureorum liquidò apparet, quid de Religione in primis vera sentiant. uno verbo, NIHIL.

### THEOREMA III.

*Rationes & cause, quare Epicureismum vitare debeamus,  
sunt gravissime.*

**Cause, cur Epicureismus vitari debeat.** Fugiendus est Epicureismus, quia prohibetur à DEO, Prov. I, 22. & ipsi displicet, Psal. 5, 6. quia nihil ita geritur clanculum quod non videat, quodq; non sit revelatus Deus & puniturus, etiam si mundus non puniat, Sir. 23. v. 28. seq. testis est Virgilius Poeta Ethnicus, quando canit :

*Disce Iovem revereri & iussa facessere Divum:  
Magna etenim capie ira Iovem, memoresq; malorum,  
Sollicitat vindicta DEUS.*

Porrò causa est omnis infelicitatis magnarumq; calamitatum, Prov. I, 26. seqq. Exemplo sunt Diluviani & Sodomitæ, Luc. 17, 27. 29. vires exhaerit corporis & animi, semina sanctitatis atterrit, quo fit, ut terrestris hospitii divinum pudeat habitatorem,

CON-



conscientiam lædit, Juvenes videoas Epicureos & voluptatibus mersos, qui impiis suis factis non esse vindicem, non judicem persuadere conantur. Interim ætas ubi ingravescit, & periculum minetur aut ingruat, si quid inexpectatum strideat strepatve, omnibus artibus contremiscunt; si mors eminus digitum intentet, mox expallescunt, in extremo præsertim agone, toto corpore, totâ animâ jactantur! Pia etiam Adolescentum pectora retrahat cogitatio reverentiae parentibus & cognatis debitæ, & verecundia quam debent honestis omnibus. Cogitent etiam illud Cypriani, quando I. de Bono Pudicitiae scribit: Voluptatem viciisse voluptas maxima est, nec ulla major est victoria, quam ea, quæ à cupiditatibus refertur, qui enim hostem (intellige externum) vicit, fortior fuit, sed altero: qui vero libidinem & voluptatem carnis repressit, seipso.

Præterea fert jacturam æternæ beatitudinis, è contrâ æternas in inferno dat pœnas. Accedit insuper Epicuræ fœditas cum vanitate conjuncta, temporis & vitæ hujus brevitas, sanctorum Angelorum & hominum offensio, Fiscalis infernalis accusatio; quæ & causæ aliæ hîc plenius exaggerari possent, nisi alienum à nostro foret instituto. Igitur properauis ad

#### THEOREMA IV.

*Argumenta contraria, & vana Epicureorum effugia  
refutari facile possunt.*

Primum & primarium eorum argumentum sic habet: *Divina Providentia excludit casum & fortunam.* Atqui hæc negari non possunt. Necesse igitur est cadat Providentia. Verum enim vero quid resp. magis temeritati fortunæ aut casus contrarium atque inimicum, quam ordinis perpetui series & constantia? In toto vero mundo videre est ordinem invariabilem atque admirandum. Facies universi qualis est nunc, talis fuit omnium hominum memoria. Non aliam videre Patres, aliamve nepotes aspicient, inquit Manilius. Hoc animadvertis Aristoteles, si quis, inquit, ex tenebris prodiret in hanc lucem cœli & mundi, nunquam vero anteà conspexisset, nec de illo audivisset, consideraret autem cursus &

B

actio.



actiones rerum..., nullo penitus modo dubitaturum hunc, quin  
hæc omnia curâ consilioq; tenerentur principis sapientissimi ac  
potentissimi. Et quid causæ esse dixerit quæso Epicurus, quo mi-  
nus Deus non regat hoc universum. An deerit ei regendi scien-  
tia, qui est sapientissimus? an vis & potentia, quæ est in illo im-  
mensa, infinita? Quid ergo? cœlum aut fortuna, aut casus pote-  
rit & sciet mundi procurationem sustinere & exequi, princeps  
mundi suâ sapientiâ & vi nesciet, aut non valebit? O temeritatem!

Quemadmodum autem homines nequam & facinorosi li-  
bertatem esse ducunt abolitionem magistratum & legum, ne à  
quoquam scelerum suorum pœnas expectent aut metuant; ita &  
hi libertatem incredibilem fore sperant, si nullum consilium præ-  
sit mundo, sed omnia casu & temerè ferantur, & sine arbitris  
peccent.

Eâ mente Lucretius Poeta Epicureus, Epicurum ait magno  
metu liberasse humanas mentes, quod fortuitò geri omnia con-  
firmarit. Ita quidem magno metu liberavit humanas mentes,  
sed pessimas & flagitiosissimas.

Bonis autem ac piis mentibus quid nunciari potest acerbius,  
quam Deum terras non respicere, nec homines curare? quanta li-  
centia præbetur impio ad omne facinus, quanta desperatio affli-  
ctis omnibus? Sed quid multis? Non negamus, casu & fortunâ  
aliqua evenire, si nimirum species causam particularem, verum ra-  
tione divinæ providentiae sive causæ universalis tantum abest, ut  
casu & fortunâ facta ea esse dici queat.

*Excerptio I.*

2.

3.

Excipis Epicure, Indignum verò est divinâ Majestate & tanto prin-  
cipe, curare terrena. Quid si indignum te dicam Epicure, qui vivas?  
mihi verò quæso dicas, quare despiceret, aut curâ suâ indignum  
duceret, quod ipse creavit? utique non creasset, quod inter opera  
sua nollet reponi: non conservaret, quod indignum duceret suâ  
curâ. Neq; verò providentia ejus polluitur rerum humanarum  
aut aliarum fôrdibus, quemadmodum nec præsentia. Quid si verò,  
inquis, hæc omnia gubernaret per ministros suos? Plerunq; eorum mi-  
nisterio sanè utitur, quæ quis autem per ministros agit, num non  
ipse idem dicendus est gerere, ut princeps à quo jussus minister  
aliquid agit? Regeris, Num forte summe beatum curâ terrena distrahi-

118



eur ac interturbatur? In homine quidem hæc, Epicure, locum habent, in DEO verò non item, qui curat & gubernat omnia absque perturbatione, non affectivè, sed effectivè. Dum ergo Deus operatur omnia in omnibus, non ipse afficitur, sed potius omnia afficit, dans eis motum & sensum regens actiones & opera sine illâ sui mutatione, non secus atque creavit omnia absque labore & defatigatione.

Secundum Epicuri argumentum recitat Lactantius lib. de Argum. II, ira DEI c. 13. Si est Providentia DEI, æq; versabitur illa circa mala ac bona. Iam si circa mala versatur, utiq; DEUS aut vult mala illa tollere, & non potest: aut potest, & non vult: aut neg; potest, neg; vult: aut & vult & potest. Quod si vult & non potest, impotens erit, id quod in DEUM non cadit: si potest, & non vult, invidus esse videtur: quod æq; à DEO est alienum. Si neg; vult neg; potest: & invidus & impotens erit: ideoq; nec DEUS, id quod impium. Si deniq; vult & potest: Cur igitur non tollit? & quia non tollit: cur ei providentia tribuitur? Hic quia plura sunt dilemmatis membra. Distinctè ac breviter respondebimus. Primum quidem ait, Si est Providentia DEI, æq; versabitur circa bona ac mala. Resp. Quidni, modò ob id Epicure timeres. Sed (quod notes velim) non eodem respectu & modo. Pergis improbè ratiocinando: Si circa mala versatur, utique Dzus aut vult mala illa tollere, & non potest: aut potest, & non vult: aut neque potest, neque vult: aut & vult & potest.

Dico breviter, Deus potest quicquid vult. Potest igitur & mala tollere, si velit: Non autem tollit, (non quod non possit, sed) quia non vult. Nec ideo tamen est invidus, quin potius longanimis & patiens.

Tertium Epicureorum argumentum illud est: *Quicquid repugnat DEO, id non gubernatur à DEO. Homines impii propter impia facta sua repugnant DEO, Ergo non gubernantur à DEO.* Verum major est limitanda hoc modo: *Quicquid repugnat DEO, quatenus repugnat DEO & rationem habet peccati, non gubernatur à DEO;* ita tamen gubernatur à DEO, ut idipsum & in bonum finem dirigi & divinæ suæ gloriae inservire possit. Deinde, quæ cum bonitate DEI pugnare vides, memineris ea, congruere posse cum DEI justitiâ & sapientiâ.

**Argum. IV.** Quartum eorum argumentum est tale: Si providentia DEI omnia regat, qui sit, quod quamvis impi pœnas luunt, seriū tamen quam oporteret, eas sustineant?

**Resp.**

Resp. Tantum abest, ut propterea providentia divina negari, ut potius ex eo luculentissimè conspici, astrui & confirmari queat: Sufficit impenitentes pœnas aliquando dare, neque enim quod differtur, aufertur, quin divinum judicium iis quanto tardius tantò gravius immineat. Imò quod hæc ipsa DEI optimi tolerantia plurimis fuerit & etiamnum sit utilissima, unicum exemplum induxisse sufficiat. Ferunt Valerium Flaccum vitiorum cordibus omnibus inquinatam peregrisse adolescentiam: quum verò ad maturam ætatem pervenisset, sic prioris vitæ pertulsum, ut qui omnis sceleris fuerat exemplum, virtutis postmodum omnisiq; sanctitatis speculum evaserit. Vult etiam Deus ex improbis aliquando bonos nasci, ut non immerito cecinerit Homerus:

*Egregia est soboles scelerato nata parente.*

Sed ô Epicuream impietatem! quæ ne quidem veretur aut erubescit divinam providentiam impio latratu impetrare & accusare propterea, quod impiis ad pœnitentiam temporis spatia concedit, cuius potius nunquam satis laudatam patientiam oporteret admirari & prædicare. Sed quos nihil pudendum pudet, neque cum ipso DEO expostulare! Itanè, ô Epicure, divitias honestatis illius ac tolerantiae, lenitatisque illius contemnis; Ignoras quod bonitas DEI ad pœnitentiam Te quoque invitat? Sed pro duritiâ tuâ & corde quod resipiscere nescit, ipse tibi accumulas iram in diem iræ & revelationis justi judicii DEI, Rom. 2. v. 4. 5.

**Argum. V.**

**Resp.**

Quintum argumentum sic informant: Si quæcumq; evenerunt, eveniunt, ac in posterum evenient, semel decreta & ordinata sunt providentia DEI, quæ labi falliq; non potest, sequitur nihil conferre preces & vota DEO facta: quum etiam ipsis intermissis, quod semel decretum est est fore, eventurum sit, & quod statutum est, ne fiat, non futurum sit, quæcumq; etiam ut fiat, preces adhibuerimus. Verum negamus nos, quia voluntas DEI est immutabilis secundum quam omnia aeterno ordinavit, supervacuas ideo & inutiles esse preces, quas ipsi



E I  
ā  
ne-  
ari  
im  
ar-  
to-  
m-  
um  
um  
m,  
o-  
ro-  
us:  
  
aut  
cu-  
atia  
n o-  
let,  
bo-  
no-  
Sed  
ou-  
1. 2.  
  
int,  
ovi-  
s &  
est  
fit,  
os,  
ab  
uas  
ipſi

ipſi fundimus: Nam sicut ab æterno omnia præscivit, & ordinavit: ita etiam ab æterno decrevit, quarum mediарum causarum interventu sit effectus quæ facere decrevit, quas inter maximi momenti sunt piorum preces, ut indubitanter à Deo quoque eas exaudiri credamus, quas ipſe ſe exauditum ab æterno præscivit & decrevit. Ne verò quisquam DEum mutabilem præsumat, ex eo, quod in Scripturis legitur Deum precibus ab irâ vindictaq; aversum. Nam quia parcere decreverat, impulit eos quibus erat parcitus, ut ipsum exorarent, agerentq; præteriorum malorum pœnitentiam. Mutabilitas igitur, si quæ dicenda eſt, obiectiva eſt, non verò ſubiectiva quæ ſit in ipſo Deo.

Oggantunt homines iſti: *Si non præstat petentibus ipsum, niſi quod ab æterno præſtitum ſe decrevit, & eo tempore, quo decrevit, ecquid noſtriſ precibus adipiſcimur?* Nam ſi dare decrevit, dabit certe non petentibus quum advenerit tempus, quo ſe daturum præſinivit: alioquin ſequeretur, quod inficiariſ, ipsum eſſe mutabilem. Nam ſi non dat niſi poſtulantibus, pendebit ipſius decretum à voluntate petentium: ſic ut ſi non petant, nec ipſe quoq; faciat, quod decrevit. Igitur aut fiet aut non fiet, quod ab æterno ſtatuit, prout homines aut voluerint aut noluerint, quo quid absurdius dici ſingive potest? Respondemus, falsam eſſe utramque collectionem. Nec enim verum eſt, etſi ab æterno decrevit quod eſt datus, nihil precibus illum concedere: aut ſi non inter venerint preces, illum eſſe mutabilem. Nam ut ab æterno decrevit quod impartiret: ita ab æterno præſcivit illud petituros, quod erat conſeffurus; neq; ſolum præſcivit petituros, imo ab æterno ut peterent, decrevit: & inspirando fecit ut peterent, quod orationibus largiturum ſe decreverat. Quæ quum ita ſint, non pendet decretum Dei ab hominis voluntate; ſed potius voluntas orandi ab ipſius voluntate & decreto. Neque verò ideo ſupervacuae ſunt preces, quod ea dat, quæ ab omni æternitate nobis daſe promiſit; quia hæc ipſa voluit in tempore à nobis exorari.

Sextum argumentum ſic ſonat: *Fruſtrà deliberamus, & vitæ curam habemus, aut operi manum admoveamus, ſi certum eſt nihil evenire poſſe, niſi quod arcano Dei conſilio ſemel definitum fuſit.* Qui ſic

B 3

Arg. VI:

Reſp.

Epi.



Epicure? Mosen minimè latuit decretum Dei deliberando po-  
pulo ab Ægyptiacâ servitute qua premebat, ipsumq; in terram  
promissam deducendo, ut qui ad hoc opus fuerat selectus: ac  
interim quibus non ille mediis externis usus est in deserto? quæ  
non adhibuit consilia? quas prætermisit deliberationes? quas  
cautiones, ut quod erat divino decreto constitutum & sibi de-  
mandatum, exequeretur? Paulus certior à Deo factus, fore ut in  
aliquam Insulam salvi omnes ejicerentur, cœteros autem bona  
animo esse jussit, quum jam collidenda esset navis, & fugam di-  
missâ scaphâ meditarentur nautæ, nisi, inquit, isti in navi man-  
serint, salvi esse non potestis, Actor. 27. Num quod potestatem  
Dei qua de non dubitabat, manibus nautarum alligaret? mini-  
mè profectò: sed quod adminicula ordinaria divinitus oblata  
sciret divinæ providentiæ non repugnare. Et ipse servator no-  
ster, cui nihil evenire potuit, nisi quod ipse cum Patre & Sp. S.  
de se ab æterno statuerat, quoties sese quærentibus hostibus sub-  
traxit? qui tamen ne in minimo quidem peccarat in providen-  
tiā etiam divinam.

Arg. VII.

Resp.

Sequitur septimum eorum argumentum: Si Dei ordinatio-  
ne & voluntate omnia fiunt, Ergo & peccata? Negamus consequen-  
tiā: Non enim volens Deus iniquitatem Psal. c. v. 5. utpote  
cui abominatio, sunt omnia peccata. Immota verò est regula:  
quæ quis abominetur, ea ipsum nec velle, nec probare, neque ad  
ea quenquam impellere. Dicimus ergo peccata fieri non Deo  
volente, nec simpliciter repugnante aut nolente, sed non volente,  
nihilominus autem alterius cujusdam boni causā, ut fiant, per-  
mittente.

Quantumvis autem peccata non vult, hinc tamen otio-  
sum eum esse spectatorem, minimè sequitur; Sed 1. prohibet ante  
actum. 2. cohabet in actu. 3. punit & ad bonum dirigit post a-  
ctum. Non enim fineret bonus fieri male, nisi omnipotens de malo pos-  
set facere bene, ut ait Augustinus in Enchir. c. 100.

Instantia

Resp.

At qui permisit omnū cum aliqua voluntate permittentis conjuncta  
est? Neque hoc inficiamur, ita verò non respicit ipsum perse  
peccatum; sed potius salutarem finem. Deinde verò aliud  
est ipsa



est ipsa permisso, & aliud res permissa: Illa cum aliquâ Dei voluntate nim. consequente conjuncta est; hæc verò minimè.

Dicit autem Apostolus Rom. 3, 8. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: Cur ergo Deus mala fieri sinit, ut bona eveniant? Respon. Aliud est F A C E R E malum, ut bonum aliquid inde resultet & emergat, quod prohibet Apostolus. Aliud verò est P E R M I T T E R E malum, ut isthinc bonum aliquid enascatur.

At qui potest impedire malum, nec tamen impedit, sed fieri sinit ac permittit, in pari videtur esse culpa cum eo, qui malum operatur factio? Evidem qui non impedit peccatum, quum ex debito teneatur impedire: is demum in culpa aliquâ peccati hæret, velut quum quis pater non impedit scelus sui filii, aut Magistratus peccata subditorum &c. Dei verò longe alia est ratio, siquidem non debet quicquam cuiquam, & posset, si vellet, justè permettere ut homo sponte aversus ab ipso, suopte ferretur imperiu, & rueret de peccato in peccatum, & p. c. in æternum exitium.

Octavum eorum nobis verò argumentum ultimum hoc Arg. I I X. est:

Unius culpa non raro in totam familiam & populum redundat, quod patet in populo à Davide numerato, quodq; ne Euripidem quidem latuit, quo teste,

Crimina sepe luunt nati scelerata parentum.

Sed quæ concedit ratio, ut pœna fontes prætergressa insontes involvat? Sed quæro ex illis, quos reos esse arbitrentur. Eos omnino dicent, qui peccarunt. Jam verò dent mihi vel unum qui non peccet, num verò ei qui reus est, injuriam fieri arbitrentur, si in ipsum animadvertisse? Nequaquam certè. Ergo, inquietant isti, non propter patrum sed ob sua quemq; scelerapuniri. Sanè: tamen ex Majorum nostrorum peccatis arripit Dominus occasionem iusti judicii in posteros similium vel majorum etiam scelerum reos exercendi. Tantum verò abest, ut quod isti in Deo exagitant, iniquum videri possit.

Quod attinet numerationem populi ex Davidis mando institutum, respondentem audiant Gregorium, pro qualitatibus, inquit ille, subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe 25. Moral. c. 19 pro

Instantia no-  
va.

Resp.

Instantia  
alia.

Resp.

Resp.

Instantia.

Resp.



pro malo gregis, etiam verè boni delinquit vita pastoris. Ille enim Deo attestante laudatus: ille supernorum mysteriorum conscius David Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccavit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebis disponuntur corda rectorum. Justus vero judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causâ peccavit.

Sed quia ipse, scilicet suâ voluntate superbiens, à culpâ alienus non fuit, vindictam culpæ ipse suscepit. Ira enim sæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. *Tantum Divus Pater.*

Urgemus nos ipsa verba Scripturæ, quæ sic habent: Perrexit autem ira Jehovæ accendi in *Israelitas*, incitavitque; Davidem Satan (permittente Deo ex justo iudicio) in eos dicendo, age numera Israelem & Jehudah. *Et tantum quoque de Epicureismo.*

**SOLI DEO GLORIA.**



05 A 720

ULB Halle

003 767 469

3



VIM 2

QJ




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583189-p0020-3

DFG

**Farbkarte #13**



IN  
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM

Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EIUS ARTICULIS  
generatim consideratis

DISPUTATIO V.

*De*

RELIGIONIS VERÆ OPPPOSITIS  
in genere & speciatim

*De*

EPIKUREISMO

*Quam*

Adjuvante DEI ter Opt. Max. gratiâ

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI  
S.S. Th. Doct. & Prof. publ.

*Ad placidam συζήτησιν proponit*

M. JOHANNES Spieß Ulmā-Svevus.

*Ad diem 15. Febr. horis pomerid. in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,*

ANNO M DC XXVI.